
VIII
COLLATII
CARMEN
DE EVERSION
HIERUSALEM
EC.
9
K
6
9
MEDIOLANI







Presbyter Joannes Bissus Mediolanensis ex Mezago oriūdus Reuerendissimo in Christo patri dn̄o dn̄o Guidantonio Arcimboldo Reuerēdissimo Mediolani archiepiscopo Benefactori suo quamplurimū honorando.s.p.d.

L.Plinius ad Caninniū Ruffum suū scribens:Silliū Italicum multū statuarū imaginumq3 nonmodo habuisse verumetiam veneratum fuisse asserit:Uirgilii statuam peculiari quodā studio ante omnes sibi delegisse:vt pote natalem cuius religiosius quam suum celebraret:Neapoli maxime vbi monimētū eius adire vt templū solebat.Cum haec de Sillio protulisset:Caninium ad famae immortalitatē ex hortans hoc vel praecipuo argumento nititur vitae breuitatē praeponens.Quid enim tam Concisum tambreue quam hominis vita longissima? et paulo post.Tam angustis terminis tantae multitudinis viuacitas ipsa concluditur:vt mihi non venia solum dignae verumetiam Laude videantur illae regiae lachrimae:Nam ferunt Xersem cum immensum exercitum oculis obisset illachrimasse:quod tot millibus tambreuis immineret occasus.Quod exemplum ne diuum Hieronymum quidem elegantissimum nostrae fidei assertorē suis monumētis cōtexuisse puduit.Ob id subiicit plinius.Sed tanto magis quicquid est temporis futilis et caduci si non datur factis:Nam horum materia ī aliena manu:certe studiis proferamus:et quatenus nobis denegatur diu viuere:relinquamus quo nos vixisse testemur.haec tertio hoc idem quarto libro significat.Ad Ualerium Paulinum suum scribens.Studeamus ergo:nec desidiae nostrae praetēdamus alienam:Sunt qui audiant:Sunt qui legant:nos modo dignum aliquid auribus:dignū chartis elaboremus.Cū itaq3 Reuerendissime in Christo pater simile aliquid mentem meā subiisset:id saltem imitari conatus sum:quod aemulari non difficile modo verum etiam impossibile est:Jd quod magno quāuis labore vberiori tamen fructu et faciliore ingenio assecutus videor:Praesertim cum tecum doctissimo tum quāoptimo viro fretus abineunte aetate semper fuerim nec minus futurus sim:Noui enim cui scribam viro:cui meas lucubratiunculas dedicem.Jn his nanq3 dedicandis nontantum me ab ingratitudine susceptorum beneficiorum vendico:quantum etiam suscipiendorum abs tuo liberali animo causa ingens renouatur:

Tuaqꝫ fama percelebri augetur ꝛ aliqua fit mea: quae actenus vel nulla vel quãtulacunqꝫ abdita fuerat. Nam si voluero altius repetere quam gratus principibus fuerit auus tuus ille doctor eximius. d. Nicolaus: Si quam intimus fuerit ille frater tuus roseo donatus galero cum principibus nostris tum toti Curiae Romanae summisqꝫ pontificibus Sisto ꝛ Innocẽtio: Si quam pernecessarius nostrae reip. tu semper ipse accesseris: cum in prosperis ꝛ seruandis ꝛ augendis Tum etiam in aduersis longius propulsandis orationi meae finem me non inuenturum ingenue fateor. Sed
Ante diem clauso componet vesper olympo: quam ne summatim quidem haec omnia Complecti possim. Quam mirabilis prudentia: Quam magna animi Constantia: Quanta fides: quanta taciturnitas: quam maturum consilium: quam gratae tuae legationes: quam iucunda ꝛ suauis facundia: quam boni sanctiqꝫ mores quam proba vita apud omnes in te viro integerrimo elucescat: vel ex hoc colligi potest: Te non solum nostroꝝ nutu principum sed ꝛ omnium Card. summiqꝫ Pontificis consensu: vno ore: vna sententia: vnis sortibus ad hanc sacerrimam prouinciam fuisse electum: Quam tuis virtutibus solis solam caeteris rebus omissis omnibus viris approbantibus tibi egregie peperisti: Ut solus inter optimos Mediolanensium Tanquam nasica ille Romanus: ad archiepiscopatuꝫ tamcito. tam inopinate. tam insperate eueheretis. Quod ꝛ si cito tardius tamen fieri quod omnes maturius optabant fieri censebatur. Id quod faustum foelixqꝫ foret omnes homines ominabantur: Quorum expectationi ad amussim adeo satisfecisti: vt facile quisqꝫ optimus coniiciat: te vel Card. vel si quid eo maius est creari posse: Si dei voluntas ita annuerit. Omnia nanqꝫ renouasti. Omnes mulieres viròsqꝫ relligiosos nouam pellem: perinde ac verno tempore serpens solet: induere coegisti. Omnia suo ordine: Nulla temere fiunt. Cultus Christi vicatim viget. Scelera absunt. Soli deo sola celebratio ab vno quoqꝫ sacerdote offertur: Quod secus ante v. lint nolintqꝫ palam fiebat: nunc pudiciciam coli constat. Omitto caetera quae multoplura sunt: quae omnia facilius per vrbem intueri fas est: quam quod litteris demandari possint. Tanta est tuae praesentiae reuerentia. tantus timor. tantus deniqꝫ amor: vt

quis eorum maior sit addubitandum relinquatur. Uerentur enim te sacer parentes sacerdotes. timent te timet sibi noxii. amant te boni. Ego te quibus possum laudibus: cum viua voce tum scriptis: cum priuato tum publico sermone inuicte effero: adeo vt tuae laudes. tua memoria tuum deniq; nomen omni volup tate iucundius & pectori meo & linguae adhereat: Quod nisi in omnes etiam in posteros aliquando dum per ocium licet: transeat: non videbor satis tuis fecisse meritis. Tanta enim erat meae erga te obseruantiae vis vt nihil aut parum ea pro fecisse putaretur nisi omnium manibus oculis. ore. voluere tur. conspiceretur. ac legeretur. Quae omnia tua autoritate ab omnibus mihi praestari confido. Quare tu primus eris qui meas tibi dicatas nugas leges: ceterisq; legentibus lectu risq; longe vberiorem deme dicendi copiam latenter vel no lentibus inuidis innues. Tantae enim prudentiae tuus est ani mus: vt facile coniiciat liuidulos mihi non defuturos: Quos spero omnino tuis superciliis compressum iri: nec tanti viri iu dicio concertaturos: Quos vel hoc Bilbilensis poetae disticho admonuisse non praeterierim..

Libro primo ad liuidum.

Qui ducis vultus: & non legis ista libenter:
Omnibus inuideas: liuide nemo tibi.

Non deerunt etiam spurcissimi obtrectatores: qui meis car minibus illud spurcissimum epigramma opponant nullam no strae fidei rationem supputantes libro tertio: quod quia tur pe est silentio inuoluendum esse censeo: Tantumodo duo vlti ma carmina proferam. In eo enim disputant:
Uersus pruritu carentes nequaquam delectare: & iccirco opu sculum nostrum solis pueris legendum.

Ad Cosconium libro tertio.

At tua Cosconi venerandaq; sanctaq; verba.
A pueris debent virginibusq; legi.

Nos tamen pilifecerim: nec huiusmodi aduersarios audie rim: Quorum deus venter: Quorum studium scorta: aut si his quicquam turpius est: existit. Quid illud nonne admi

randum erit? Qui me editionez praecipitasse ausint confinger:
Illud horatij dictum a Fabio Comprobatum in mediũ addu
centes: Nonumqꝫ prematur in annum. His non ipse responde
bo: Quandoquidem poetam habeo Bilbilensem causae meae
patrocinium suscipientem: tũ multis in locis: tum eo epigram
mate Quod scripsit:

Libro primo Ad Faustinuz.

Ede tuos tandem populo Faustine libellos:
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces:
Nec sileant nostri praetereãtqꝫ senes:
Ante fores stantem dubitas admittere famã?
Teqꝫ piget curae praemia ferre tuae?
Post te victurae per te quoqꝫ viuere chartae
Incipiant: Cineri gloria sera venit.

Certũ tñ fuerat in aliud tempus differre: Sed Compluribus doctis viris Persuasus: id malui quod certũ est: amplecti: quã morae periculum: quod me pessundaret: expectare. Quod nũc tuo grato animo quãtulumcunqꝫ est ea offertur lege: vt si tibi placuerit: ad altiora me propemodum accingere moneri senti am: Non eniz absurde patiar animum: quez Thales ille Mile sius immortalem philosophorũ primus dixit: ꝛ mentẽ dei par ticulam omnium velocissimum turpi ocio marcescere: Imoue ro eam assidua exercitatione vomere sub terram fricato ara tione continua splendidiorem reddam. Hec autem exercitatio tribus mihi rebus vt a Fabio praecipitur Constabit. Studio lectione. ꝛ Compositione. Addam ꝛ ipse quartuz genus. Indoc tiores me interrogabo: Cum aequalibus meis crebra disputa tione certamen conserere non formidauerim. Interea tamen dum elegantius proficiam: hunc libellum tuis sacris amplecte re vlnis. Maturescet eniz sub te foetus meus aeque ac proles Semeleia sub Joue: ꝛ edetur te annuẽte integer nec abortiuũ quiddam putabitur. Nam si plinio credimus septimo natu ralis historiae libro: Et qui citius matris vtero: hoc est septi mo mense effunduntur: superstites sunt: hi vero qui serius. hoc est octauo mortem obeunt.

Uale o ꝛ praesidium ꝛ dulce decus meum.

Ad Beatissimaꝫ virginē Mariam gratiae ꝛ praeces aguntur per. P. J. B.

Uirginei veneranda chori pulcherrima princeps:
In cuius manibus nostra reposta salus:
Ne Cadat ignifero fax inflammata furore:
Quam quatit heu nati dextra timenda tui:
Nos humiles famuliqꝫ tui tibi vota dicamus:
Et damus haud ficta pectora nostra prece.
Saepius aethereum placasti numine regem
Grata tuo: ꝛ cecidit saepius ille fu. ore
Arderet tellus: arerent quo freta misso:
Nec fluerent limphis flumina torta suis
Nostroꝝ ingenti scelerum indignatus aceruo
Uix valat accensam continuisse facem.
Lactea virgineis sed praefers pectora mammis
Ante ducem ꝛ natum virgo beata tuum:
Infanti ꝛ memoras quanta pietate tenello
Laeta dabas succis vbera plena suis:
Num velit hos diro vitam finire flagello
Arguis? ꝛ misera sic perijsse nece?
Pro quorum incolumi crucifixus sponte salute
Uerbera cum sputis saeuaqꝫ flagra tulit:
Inuida nec renuit tantae ludibria Caedis:
Mixtaqꝫ ridiculis improba verba iocis:
An quos tartarei latebroso carcere regni
Eripuit subito sic perijsse velit?
Ille autem: tanta quid nunc mihi congeris arte
has causas? quoduis candida mater habe.
Confiteor valida quae libro fulmina dextra
Non possunt caelo missa venire meo:
Tanta tua est pietas: humanum qua genus omne
Uiuit: ꝛ in melius perfida corda trahit:
Omnipotens Cunctis mea sum clarissima mater.
Obstiterint nutu ni tua iussa meo.
Nec plura his: forti vibrantia taela lacerto
Deponit votis virgo benigna tuis:
Quas tibi pro tantis meritis mitissima virgo
Quas referent laudes carmina nostra tibi?

Protege nos: In te nam nostra est vita locata:
Te sine nil sine te virgo beata sumus:
Uita sancti Martini episcopi. per. P. J. B.
Inclyte quem miles genuit Galbaria tellus
Pannoniis inclusa iugis: quem celsa parentum
Nobilitas aluit: qui claro sanguine natus
Cum duo lustra geris: mens ipsa inuita parentum
Sit licet: ad Christi te fers rectissime cultus.
Munirisqꝫ fide. Mox cum tria lustra subisti
Militiae edicto regis conscriberis: vno
Contentus seruo: alternum Cui sufficis ipse
Seruitium: ⁊ mores domini aspernatus iniquos
Perfectas Christi sequeris vero ordine leges:
Mirificus tanta qui excellens arte magister
Discipulis manibus his lauit crura pedesqꝫ:
Quae mare quae terras: quae vasti pondera caeli
Ex nihilo fecere olim: nitidisqꝫ subinde
Ornauere globis stellarum: ⁊ sole corusco:
Praeterea miseros tanta miseratus egenos
Es pietate: tibi quod nil Martine tenebas
Destipe militiae: nisi quantum viuere posses:
Caetera pauperibus tribuebas: alma tonantis
Ut iubet astrifero lex insignita decore.
Cum fera hiemps gelidis spiraret flamina ventis:
Horrentesqꝫ rigent currenti in flumine crustae:
Obuius aduenit trepidus tibi frigore pauper:
Exiguumqꝫ aliquid tremulo te flagitat ore.
O noua nec saeclis pietas audita vetustis.
O uirtus aequanda deis. o maxima rerū
Gloria perpetuis semper memoranda Camaenis:
Nummorumqꝫ nihil cum tunc Martine teneres
In geminas partes chlamidem discindis: ⁊ vnam
Largiris nudo: superasqꝫ sacerrima iura:
Plusqꝫ facis quam quod lex iussit sacra tonantis:
Si quis habet binas tunicas: det largus egeno
Unam: duntaxat solam Martine tenebas:
Dimidium Cuius nudo largiris egenti:
Qui fuerat Christus summi regnator olympi.

Quid possset maius toto celebrarier orbe?
Pieriisq; modis quid vel resonantius extat?
Quam tegat vt regem regum tam paruula vestis:
Quemq; tremunt dominum caeli: quem terra: marisq;
Innumeri fluctus: quem magni tegmina mundi
Non capiunt: modicae texerunt vellera lanae?
Qui pius e caelo descendens nocte sequenti
Angelicis septus comitantibus vndiq; turmis
Te Martine petit per nigra silentia noctis:
Atq; ait. o proceres hoc me me tegmine vestis
Contexit: nec adhuc sacro baptismate lotus
Martinus: Dixit: superasq; euasit ad auras.
Plurima mox tecum sancta sub mente reuoluens
Grataq; contemplans tanto tua munera regi
Protinus elueris sacro Martine lauacro.
Tunc Ariana cohors infernis dedita diuis
Et pulchros Christi ritus exosa: furore
Concita te rapuit: te saeuis impia virgis
Ante oculos vulgi caedit: varioq; doloris
Supplicio affecit: propriaq; ex vrbe fugauit:
Ipse sed infractis animis & pectore firmo
Italiam repetis: vastas qua nix tegit alpes:
Et Mediolani non paruo condis honore
Templa. Sed hinc Christi pepulit te Aurentius hostis:
Secta Ariana suo quo tunc pastore vigebat
Insula teq; suo dehinc Gallinaria cepit
Ingremio: & vulsis pascunt radicibus herbae:
Donec te blandis precibus flexere parentes
Ut capiat celsis vrbs te Turonica muris:
Quam cum flagranti peteres agitamine mentis:
Nobilium magna caperis latitante caterua
Apprensusq; vna cunctorum voce per vrbem
Eligeris pastorq; piis sacraris ab astris.
Ad te cum populi currentis taedia ferre
Non potes: ad lapidem struxisti sacra secundum
Templa suis variata locis claustrisq; decoris.
His octoginta monaci sancto ordine vitam
Ducebant mundi illecebris tristiq; procella

Immunes: nulla qui vincerentur ab arte
Demonij: Clypeis fidei non territa turba
Squalores imitata tuos: Corpusq; seueris
Edomitum poenis: & castigata furẽtis
Ocia luxuriae: Duce te fera limina ditis
Effugiens superas petitura excelsior auras

Uita Sãctae Ceciliae Uirginis & Martyris. per. p. J. b.

Cecilia ingenua magnorum stirpe parentum
Quae deducta micas: & longo sanguine fulges
Uirgineum Christo florenti aetate pudorem
Alma dicas fugiens lasciuae dona iuuentae:
Nec te magna mouet pro auorum gloria: nec te
Diuitiae ingentes: nec honorum blanda Cupido
Quin sis iuncta deo: quem solum diligis vnum
Esse tibi sponsum: soli & tua pectora seruas.
Inuitam sed enim te coniunxere parentes
Conspicuo iuueni: Cui nomen Ualleriano.
Iamq; dies praefixa aderat: qua duceris vxor
Ut tua connubij subeant praecordia leges:
Tibiaq; & citharae socialia carmina fundunt:
Et passim pictis collucet terra tapetis:
Et lauro postes ornantur: & omnia rident:
Flammiferaeq; faces: & lecti taeda iugalis
Nuncia praefertur. pars cantat voce sonora:
Pars Hymenaea vocat: trepidat pars ducẽr saltus
Sed tu virgo decens tales ex ora camaenas:
Nec tales ritus constanti pectore curans
Soli vniq; deo sanctissima Carmina fundis:
Cantarunt olim quae summi plectra prophetae.
Da pater omnipotẽs caeli veneranda potestas
Da mea non vlla praecordia vincier arte
Immaculata tibi quae seruo: da precor alme
Alme deus: ne nunc casu confundar iniquo.
Talia dum sancto tecum sub corde volutas
Sancta dei miro praefulgens sponsa decore:
Nox ruit: & caelo radiabant astra sereno
Iamq; suadebant labentia sydera somnos
Mollibus & plumis flagrabat dulcia lectus

Gaudia:si dici qua possunt gaudia parte.
Jamq; torum nulla veneris vexata fauilla
Ingrederis nullo succensa cupidinis igni:
Nam tibi sola manet tutandae fortiter almae
Cura pudiciciae & christo placuisse tonanti.
Sed dum sacra tori thalamo tibi iunctus in vno
Jura petit consors:miroq; exardet amore
Ire sub amplexus tantos dignissima virgo
Talibus hunc reiicis luctantem vocibus in te.
Accipe vera meae quae sit sententia mētis
Neue meos monitus fugias carissime coniunx:
Est mea virginitas soli promissa tonanti:
Angelus aetherea quam missus ab arce tuetur
Usq; mei lateris custos non territus vlli:
Uirgineos quodsi cupies attingeř lumbos
Quam primum ad stygios truderis saucius ignes:
Nec tibi dextra mei custodis parcet:ad arma
Quam rapiet:si te violantem viderit vsquam:
Sin mea virginitas abs te non tacta nitebit
Angelus hic idem pro te pia bella mouebit:
Quae pro me stricto iam nunc mucrone moueret:
Si vetitos audax velles amplectier artus:
Quare age sit mecum celebs tua credita vita
Sic caeli faueat nobis tutella duobus.
Talibns ardentem mulcebas docta maritum
Qui tibi iam flexus:furias iam despicitatras
Pollicitus sese facturum iussa monentis:
Si modo quod narras inquit dulcissima cōiunx
Ante meos oculos aderit:quo certior extem:
Efficiam quaecunq; mones:si vera probaris:
Quae pia non dura nobis nunc asseris aure.
Dixerat:& capiti babtismata sancta recepit
Sponte:suo.Domini cui clara in luce refulgens
Angelus apparet:dulciq; haec adiicit ore.
Me deus omnipotēs caelo demisit ab alto
Nomine & illius quaeuis pia numera poscas
Polliceor:dabitur quod Ualleriane requires:
Quod tua virginitas firma est seruata catena

Cum consorte tua: Quod caeca cupidinis alsit
Flamma: nec auratis potuit te figere taelis.
Finierat. Juuenis suaui dulcedine captus
Multum animo voluens: quaenam meliora petenda
Dona forent: voces has fudit pectore laetus:
Angele qui nostro lateri pietate superna
Usq; manes custos castae bonitatis amator:
Est mihi sub falso diuorum numine frater
Implicitus fidens vanis Tiburtius aris:
Quem: si dextra potest patris omnipotentis: ad almae
Jam Cuperem fidei sacros se vertere cultus
Et ficto excultos ritu contemnere diuos.
Hactenus: et precibus diuum pater atq; hominum rex
Annuit: et voti compos clarissimus exit:
Et gemini roseo diademate tempora cingunt
Martyrij rubrisq; nitent super aethera sertis:
Pulchraq; quae hic multum stillarunt colla cruoris
Carnifici praecisa truci saeuoq; tyramno
Nunc super aethereis fulgent radiātia regnis.
Ast tibi virgo decens feruentia balnea dantur:
In quibus ignifero pereāt tua membra calore:
Lympharumq; globis calidarum viua coquantur.
Stabas laeta pio demonstrans gaudia vultu
Tantarum immensis vndarum haud laesa periclis:
Hoc tibi vera fides dabat hoc reuerentia Christi:
Qui tribus igniuoma pueris fornace repostis.
Quartus adesse tulit rapidasq; extinguere flammas
Sed postquam nulla possunt tibi parte nocere:
Tantarum cumuli flammarum et nigra vorago
Impia carnificis ter diram dextera falcem
Extulit: et frustra roseum ter caedere collu;
Nititur: audacis tanta est violentia dextrae:
Ter tua virgo decens ceruix pulcherrima mansit
Non seiuncta: tamen sed ne diademata sacri
Martyrij ammittas tanto et spolieris honore
Uulnera semineccem te linquunt facta: Superstes
Hinc triduo populos hortaris ad ampla benigni
Jussa dei: falsis nec subdere pectora diuis

Sic tandem aetherei conscendis ad atria sponsi:
Quenq; diu puro venerata es pectore terris
Laeta vides caelis: morituraq; praemia nunquam
Contulit alma tibi miro munita decore
Uirginitas.
Uita Sancti Claementis Martyris. Per. P. J. B.
Insignite caput roseo diademate Martyr
Summa tuis stabat Claemens reuerentia verbis:
Grataq; de docto sententia corde fluebat:
Et tua duntaxat reserandis cura vacabat
Legibus aethereis: quas Christus condidit olim.
Te duce Christicolum numerus sic maximus exit:
Maioresq; animi surgunt: maiorq; videri
Incipit alma fides: & cultus maior vbiq;
Erigitur Christo. Sed fictis numina diuis
Facta hominum manibus subitam traxere ruinam:
Nec constare valent ingentes aere colossi:
Marmoreaeq; ruunt statuae: genus omne deorum
Conteritur: nec ficta iuuant praeconia fictos:
Soli vniq; deo dulcissima gloria restat:
Quem colis: & solum fido sub pectore seruas
Cunctorumq; hominum nitido sermone per aures
Diuulgas: & sancta mones mandata subire
Praeponens sint quanta piis seruataq; iustis
Gaudia: & inferni maneat quae poena nocentes
Quantus erit luctus quanta & feritatis imago.
Talia dum populis audacius inclyte martyr
Diseris: & sacras expromis pectore leges
Impauidus: soliq; deo data numina clamas:
Et sacros diuis tot dandos spernis honores
Inuidus ecce tulit te rumor temnere diuos.
Praefecto: subita qui exarsit protinus ira:
Teq; iubet uinctum sacras procumbere ad aras:
Qui cum tura deis nolles praeferre nefandis:
Nec posses precibus pretio nec vincier vllo:
Nec superare queat te vis immensa minarum:
Nec rigidae flectant constantia pectora poenae
Transpontum externas exul legaris in oras.

Cersonae regio praeruptis vndiqꝫ saxis
Circumsepta: capit tellus te plena fideli
Christicolum turma: fuerat quae missa tyranno
Illuc ad exilium pariter saxisqꝫ secandis.
Nec spes vlla aderat tali recludier vnquam
Exilio: tantae constant ergastula molis
Donec iuncta suo frueretur corpore vita.
Millia bina hominum illic aspera fata trahebant:
Qui procul vt notum te conspexere: fluentes
Emittunt lachrimas misera suspiria voce
Quos pius altiloquis solaris vocibus omnes.
Parcite mortales dirae ludibria sortis
Inuito tolerare animo: Contemnere tutum
Non satis est magni quod vult mens recta tonantis.
Per varios casus per multa pericula rerum
Non per delicias non strata per ocia lecti
Itur ad excelsi clarissima limina olympi.
Deniqꝫ dux tanti summo genitore creatus
Extitit exempli nostrae pia causa salutis:
Cum sua non renuit letali corpora ligno
Sub crucis affigi palmasqꝫ excindier ambas
Pertulit obtusis miserando vulnere clauis:
Nec pedibus teneris haec pestis dira pepercit.
Quis necis illius magnos narrare dolores?
Quis queat ⁊ lachrimis crudelia spargere iustis
Fata suis? quaecunqꝫ ruit fortuna ferenda est:
Nec disperandum Christo duce ⁊ auspice Christo.
Qui modo me misit: quo vestri turbinis atri
Sim9 socius: vestrosqꝫ leuem quacunqꝫ labores:
Eia agite ⁊ reuocate animos: maestumqꝫ timorem
Mittite: ⁊ ingentes inuicto robore firmi
Squalores superate: manet vos regia magni
Alta poli: roseis diademata florea sertis
Summo danda deo sunt vobis certa laborum
Praemia sub saeclis nunquam moritura futuris:
Talibus alme dei titubantia pectora Martyr
Nutantesqꝫ animos firmas: mentemqꝫ labantem
Allicis ad celsi se vertere gaudia caeli.

Janqꝫ tuis stantes verbis tua iussa facessunt:
Et silices ⁊ dura alta pendentia rupe
Saxa secant celeresqꝫ nouam praecisa reducunt
In formam vt rigidi mens iusserat atra tyranni
Adde quod hic nulli fontes:nullaeqꝫ profundae
Sunt putei limphae:quibus anxia turba valeret
Arentem sedare sitim:vel viscera flammis
Excoquere.atqꝫ suo condiri fercula pingui.
Longius hinc sex mille omnes conquirere passus
Atqꝫ haurire vndas ⁊ per iuga summa referre:
O quotiens genibus flexis:⁊ poplite victo
In terram lassis humeris cecidere gementes
Pondera cum longi cursus sufferre nequirent:
Quos plus aetherea miseratus mente dolores.
O vere Claemens:Cui stat Claementia Cordi:
Et magno supplex effundis talia regi.
O pater omnipotens:qui munera cuncta rependis
Astriferis venerande polis:qui currere sicca
Ex rupe innumeras iussisti protinus vndas:
Cum tua Niliacis gemeret gens clausa sub oris
Ut iustis Mosae precibus fauisse iuuaret:
Ecce vides quãto gens haec sudore fatiscat:
Quanta sit exilij durissima poena nefandi:
Quantus ⁊ assiduo squalor premat ossa labore:
Sic mihi nunc faueas:populi ⁊ miserere dolentis:
Exorto ⁊ nitidos hic ꝑduc fonte liquores:
Ut veneranda tuis cultoribus inclyta fama:
Mira fluant:timeantqꝫ tui te protinus hostes:
Subqꝫ tuo flectenda iugo dent colla:furores
Obliti solitos:⁊ iniquae iurgia legis.
Hactenus:⁊ precibus iustis pia dextra tonãtis
Intonuit laeuum:summoqꝫ cacumine caeli
Annuit:⁊ vasta vndantes ꝺ rupe liquores
Exiliunt:⁊ saxa madent aspergine fontis:
Summaqꝫ nec scopulis remanebat sicca crepido
Atqꝫ vbi nulla fuit:nũc vndiqꝫ dissilit vnda
Auxilium fessis rapido dans grata calore.
Horrescunt subito in casu noua mira videntes

Christicholae: meritasq; deo dāt pectore laudēs:
Summarumq; tibi laudum praeconia cantant
Egregium Claemens facinus cuncti ore probantes
Inte omnes laeti vertunt sua lumina solum.
Quae. postquam grato miracula plena nitore
Ad populi venere pias velocius aures
Circunfusa ruit studio succēsa videndi
Fontis turba virum: nec enim stat gratia tanti
Parua viri: tantum qui protulit agmen aquarum.
Mirantur nequeuntq; expleri corda tuendo
Et subitum magnumq; dei mirabile donum.
Totaq; se subdit nostrae ꝓuincia legi
Et veteres dirimit ritus: verumq; salutat
Facta beata deum: meritos cui reddit honores
Atq; onerat supplex varijs altaria donis.
Excidiumq; infert statuis: veterumq; deorum
Diruit: ⁊ vanos cultus condemnat apertis
Uocibus: ⁊ soli censet dare sacra tonanti.
Aedificat celsis sanctissima moenia muris.
Quinq; sed ⁊ septem decies ad sidera summa
Templa vehit pinna quadratis vndiq; saxis.
Quaeq; prius tetrico scindebat saxa tyramno
Caelicolum supero regi nunc omnia quadrat:
Undiq; pulchra nitēt diuino moenia cultu:
Undiq; fulget honos summi ⁊ reuerentia regis:
Undiq; ture calent gratisq; altaria votis.
Haec postquam rigida praesensit mente tyramnus
Traianus fieri: furibunda fulminat ira.
Et quatit huc illuc tumida caput improbus arte
Et conspersa atro tabent praecordia felle
Audifacez mittit. Cui quaeq; immania mandat
Christicolis inferre viris: nisi pectora mutent:
Et fictos sacro diuos dignentur honore.
Tunc quoq; cum velles sanctae mysteria legis
Inuictis Claemens rationibus viq; tueri:
Audifacis rapuit te saeui ⁊ dextra furentis:
Qui cum nec pretio precibus nec flectere posset
Terrificisue minis: vnco iubet anchora morsu

Sit collo confixa tuo: mediasq; sub vndas
Aequoris: ꝛ vasto mergaris gurgite ponti.
Mergeris: ꝛ sanctus clarum super aethera vadit
Spiritus: ꝛ rosco diademate tempora fulgent.

Pro opusculi defensione. Epigrãma.

Hispano genuit quem Bilbilis alta Salone
Defendat modicae carmina nostra lyrae:
Sunt bona: Sunt quaedam mediocria: sunt mala plura.
Quae legis hic: aliter non fit Auite liber.
Quod si Cerbereo quisquã me indicat ore
Criticus: haud latret sed meliora canat.
Fecimus his grauiora: quibus proh liuida turba
Protinus attonito pectore rupta cadet.
Cum tumefacta suos cupient effundere foetus
Scrinia non celeri discutienda manu:
Quae nisi mordaci discat iam parcere linguae
Tincta lycambeo sanguine tela feram. vel.
Sentiet heu dictis obuia facta suis.

Ad vesperum hymnus.

O deus omnipotens cunctorum summe creator
Summe poli rector: qui claru; luce nitenti
Usq; diem vestis ꝛ dulces nocte sopores
Inseris: vt placida renouentur membra quiete:
Ut valeant duros melius sufferre labores:
Nec mala procumbant fessae fastidia mentis:
Atratosq; sinat luctus mox anxia turba.
Cunq; peracta dies iam sit: noctisq; profundae
Exurgant tenebrae: meritas tibi Carmine grates
Soluimus: atq; preces votisq; hymnisq; canentes:
Ut tua dextra reos: quos pondere mersit acerbo
Fortuna heu crebris nimium furibunda procellis
Subleuet: ꝛ partes sic delatoris iniquas
Conterat: vt nullo quatiantur membra timore
Intimate nostri cordis praecordia cantent:
Nostra sonora tuas laudes vox concrepet vltro:
Castus amor casto te semper diligat igni.
Te colat aethereos mens sobria ducta sub axes.
Cunq; profunda die; noctis concluserit almam

Caligo: tenebras constans ignoret inertes
Nostra fides: clara qua nox obscura nitescat:
Nec somni patiere situ mens victa quiescat:
Saepe gerunt tristes ludentia somnia noxas.
Sancta fides castos diffusius irriget artus
Rore suo: & vanos somni tranquilla vapores
Temperet: vt vera potiantur membra quiete.
Intima te cordis videant somnoq; fruantur
Ne pauor inuidia saeui nos suscitet hostis.
Te cum patre tuo rogitamus christe: patrisq;
Atq; tuum flamen diuino numine fixum:
Qui tres paersone regnatis: sed deus vnus.

Ad. d. Gabrielem de pirouello illustrissimi ducis nri medicū peritissimum.

Cum tener in cunis iaceo tempusq; propinquat:
Quo veniant capiti sancta lauacra meo:
Astabas Gabriel ducibus gratissime nostris:
Et niuea infantem me tua dextra capit.
Imponitq; manum sacram sacer ipse sacerdos
Dans pius a sancta candida verba fide:
Astrorum motus contemplans pectore: dixti
Hic puer & musis & tibi phoebe venit:
Exilui postquam cunis: me doctus Apollo
Corripuit: Lateri duxit & vsq; suo:
Me quoq; nunc vrget: nec sunt mea pectora tanti
Ut possint Clarium destituisse deum:
Haec lege: ne falso videaris nomine vates:
Pontifici nostro iure dicata licet.

Ad. d. Babtistam Baldironum illustris Principis Julij Sfortiae medicum peritissimū.

Cuius ab egregio firmatur dogmate nostrum
Corpus: & insanis non timet ire notis:
Debeo proh quantum quod nostrae causa salutis
Existens: animo non minus ipse faues:
Et legis & Laudas necnon miraris: & vlnis
Amplexans doctus Carmina nostra foues.

FINIS.